

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Predestinatio siue prouidencia diuina n  
cum fonte primo

Tolle  
astucias dyaboli, nec erit corona  
uictorie legitime certanti.  
Si desint obsistentes,  
non erunt agones, nec uictoribus munera  
pararentur.

Non solum ergo bonis utitur Deus ad  
opus bonum, sed eciam malis.  
Sunt uasa

ad honorem, sunt ad contumeliam,  
utraque tamen necessaria.

Origenes ibidem (super illud Numeri  
XXII.: Stetit angelus Domini contra  
Balaam).

Simili ergo modo et de ipso diabolo  
ponamus, uerbi gratia, necessitate aliqua  
constrictum fuisse eum ne peccaret, uel  
post peccatum ablatam fuisse ab eo  
malitiae uoluntatem; simul utique  
ablatum fuisset nobis certamen  
aduersum

astutias diaboli nec expectaretur corona  
uictoriae ei qui legitime certasset.  
Si non haberemus qui nos obsisterent,  
agones non essent nec uictoribus munera  
ponerentur nec regnum caelorum  
uinentibus pararetur neque  
*momentarium hoc et leue tribulationis  
nostrae supra modum pondus gloriae  
operaretur nobis in futuro* nec aliquis  
nostrum pro tribulationum patientia  
speraret immensam gloriam futurorum.  
Ex quibus omnibus colligitur quia  
Deus non solum bonis utatur ad  
opus bonum, sed et malis;  
et hoc uere mirabile est quod uasis malis  
utitur Deus ad opus bonum. *In magna  
enim hac mundi huius domo non sunt  
tantummodo uas aurea et argentea, sed  
et ligna et fictilia; et alia quidem*  
ad honorem, alia autem ad contumeliam  
(2. Tim. 2:20), utraque tamen necessaria.

Origenes, *In Numeros homeliae*, 14, 2,  
5-6 (SC 442, L. Doutreleau ed., pp.168,  
170, ll.108-125).